confitemini spiritum sanctum, uos omnes qui aduersamini & resistitis contrario spiritu
& gemini. Non possum enim non aliquantum audire in uos; Stimulor
namque zelo dei, si uero in hoc saltim sanum sapitis, ut mihi festam hanc
declinetis impietatem. ut extra numerum creaturarum. & seruilem ordi
nem sentiendum esse eum qui uos liberos facit putetis. de reliquis deliberate
diligentius. & requirite. uel cum ipso spiritu sancto uel certe nobiscum; Puto enim
uel in modico esse uos participes eius & ideo uelut cum proximis iam immo
cum propriis libenter deliberabimus; Aduertite ergo quę dicimus. aut date
te mihi aliquid medium seruitutis & dominationis. id est inter dominum & ser
uum. inter deum & creaturas. ut ibi locum sancti spiritus requiramus. aut si seruilem
dare ei ordinem refugitis & timetis. non est iam dubium cuius debeat esse
loci & ordinis his de quo querimus; Sed nescio quare iterum eum quem
de natura dei esse creditis deum profiteri & iam sermone ac uoce non uultis
in syllabas offenditis & difficultatem patimini proferre per uocem ea quę
tenetis mente & intellegitis sensu. & hoc uobis efficitur petra scandali
& lapis offensionis; Nihil mirum hoc enim & christus factus est multis;
uerum sit istud humanę fragilitatis infirmitas. non posse confiteri
quae credere te non potes diffiteri. Inuicem onera nostra portemus.
conpatiamur fratribus in spiritu mansuetudinis. non tam nos ipsos quam
fratres & proximos diligamus; Date ergo uos nobis credulitatem & uirtu
tem deitatis in spiritu & pronuntiationem uobis nos concedimus uocis;
Confitemini naturam quibus uultis aliis uocibus. quam uultis uerecundę
quam uultis infirmae. patiemur. immo & curabimus infirmitatem
uestram & extorquebimus nobis. & furabimur aliquid desiderio nostro.
minus aliquid dici a uobis patiemur. si tamen sciamus nihil minus cre
di. quamquam, o foedum enim & uere foedum est & perabsurdum mente
& animo sanum sapere! Trepidare autem & infirmare circa sonum uo
cis. & hoc cultare thesaurum uelut aliis inuidentem. & cum mens pia sit.
nolle etiam linguam sanctificare confessione pietatis; Sed quid agimus.
turpe est & nobis id agere quod alios incusamus. & cum illos culpemus

parenthesis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc276/0084